

Q. D. B. V.

THESES IVRIS ROMANI

QVAS

1775. 12

P R A E S I D E

D. G E O R G I O S T E P H A N O
W I E S A N D I O

PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO
CVRIAEC PROVINCIALIS SCABINATVS
ATQVE COLLEGII IVRE CONSVLTO.
RVM ASSESSORE

DIE XXVIII. MARTII A. S. R. CICICCLXXXV.

H. L. Q. S.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITVRVS EST

I A C O B . E H R E N F R I E D W E B E R

BVDISSA - LVSATVS,



VITEMBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.

I.

Consilia eorum, qui jurisprudentiam Romanam ex Germania proscribendam esse arbitrantur, merito sunt repudianda.

1) Ius Romanorum magna ex parte tradit ipsius rationis pracepta, vti exemplo plerorumque contractuum satis constat. Haec vero vbiuis gentium et locorum presunt. 2) Per multae leges Germanicae cum Romanis nunc tam arcto vinculo sunt coniunctae, vt satius sit hanc in ueteratam quasi amicitiam in posterum potius conseruare, quam eandem dissoluere. 3) Multa quoque iura, quibus iam floret nostra patria, in fundamentis jurisprudentiae Romanae sunt in aedificata, quibus destrutis, ipsa Germanorum jurisprudentia labefactetur, necesse est. 4) Fac, singulis prouinciis atque urbibus iam noua dari iura, periculum est, ne legum mole opprimatur Germania. Multa quoque ex ista legum diuersarum multitudine nascerentur incommoda. 5) Multa mala ex commixtione iuris domestici et peregrini orta esse, lubenter fateor. Sed his medicinam assert salutaris principum sapientia. 6) Si ysum forensem iuri Romano in foris nostris denegaremus, grauissimorum negotiorum decisio saepenumero incerto permitteretur indicum arbitrio, vnde sine villa controversia infinita damna acciderent ciubus Germaniae.

II.

Priuilegia collegiis, corporibus et societatibus litterariis concessa, singularibus quoque successoribus prosunt.

1) Collegia, corpora et societates litterariae ideo et constituuntur, et principum auctoritate confirmantur, vt salus publica felicius procuretur. Priuilegia vero iisdem concessa non tam ad singulos, quam potius ad omnes communiter pertinent, qui quidem vnam personam repreſentare ipsaque immortalitate fruidentur. L. 1. §. 1. D. quod cuiuscunq; uniuersitat. nomin. 2) Beneficia igitur iisdem tributa, fini perpetuo ab omnibus recte assequendo inferuiunt. Vt vero eiusmodi societates perpetuo viuunt, ita et omnibus successoribus, qui iisdem adscripti sunt, vere prosunt. 3) Vlpianus in l. 4. §. 3 D. de censib. haec tradit: quamquam in quibusdam beneficia personis immunizatis data cum persona extinguantur, tamen cum generaliter locis, aut cum ciuitatibus, immunitas sic data videatur, ut ad posteros transmittatur. Adde Modestinus in l. 4. D. de

de

III

iure immunitat. 4) Si quis eiusmodi iura in heredes tantum transmittere velit, is eorum caussam a que originem prorsus negligit. Heredes saepe iis destituuntur virtutibus, quas societatum rationes exigunt, ideoque nullo modo in locum antecessorum sunt admittendi. Adeas quoelso *David. Meuium Part. 4. dec. 151.* et *Aug. a Leyser in specim. 519. meditat. 4. seqq.*

III.

**Quae ius Romanum de seruis tradit, ea ad homines proprios
in Germania haud sunt applicanda.**

1) Serui pro mortuis habentur ipsaque seruitus morti equiparatur, *l. 59. D. de condit. et demonstrat. et l. 209. D. de R. I.* proptera quod persona ciuili essent destituti. *Prooem. I. de stipulat. seruor.* Sed haec de hominibus propriis non sunt dicenda 2) Licet enim homines proprii corpore dominis sint obnoxii, et saepe durissima seruitute premantur, facultas tamen obligationes ciuiles ineundi iisdem haud est deneganda. Nam emere et vendere, permutare, contrahere matrimonium, aliaque negotia iisdemscipere permisum est. *Ordinat. subditor Lusat. Superior. de anno 1652. Tit. 4. Io. Gottl. Heineccius in element. iur. German. Libr. 1. Tit. 1. §. 44.* 3) Nec ex disciplina domestica, cui homo proprius subest, inferendum est, cum cum seruo Romano esse comparandum. Multum profecto distat potestas dominica antiquitus recepta ab ea, quam olim domini iure Romano in seruos exercere erant soliti. 4) Ignorat Germania varia libertorum genera, ius patronatus, atque alia. Status igitur hominum priorum vnicce ex legibus Germanicis et moribus antiquis est dijudicandus. Lectu digna de hoc argumento protulit peritissimus harum rerum arbiter *Henr. Christian. de Senckenberg in dissert. de seruor. condit.* Giesiae anno 1742. edita.

IV.

Libertas in l. 4. D. de stat. homin. minus accurate describitur.

1) Ita enim libertas a seruitute haud satis discernitur, quin res contrariae inter se commiscentur, cum et ad strictissima seruitute libertas naturalis haud prorsus tollatur. 2) Si hanc definitionem sequimur, nemo erit prorsus liber. Ius enim prohibet, quominus quis delicta faciat. Omnes quoque ciues imperio magistratus subsunt. Itaque ne reges quidem potentissimi prorsus liberi essent existimandi. 3) Vituperandus est *Tribonianus*, quod in institutiones hanc notionem receperit, eoque grauiorem meretur censuram, cum ipse in *titulo de ingenuis* discriben inter eum, qui in seruitute est, atque inter verum seruum, recte agnouerit 4) Non omnis restrictio libertatis naturalis seruum facit, sed id de ea duntaxat erit affirmandum, quae hominem liberum arbitrio domini subiicit.

A 2

V. Si

V.

Si pater nobilitati gentilitiae renunciat, id filio, qui adhuc in utero est, haud nocet.

- 1) Non obstat nobis sententia *Papiniani* in l. 9. D. ad leg. *Falcid.* partum nondum editum hominem non esse dicendum. Haec enim lex pertinet ad rationem computandi *Falcidiām*, intuitu fructuum post tempus mortis perceptorum.
- 2) Neque curamus morosum iudicium *Vlpiani* in l. 1. §. 1. D. de ventr. inspic. vbi dicitur, partum, antequam edatur, mulieris, vel viscerum esse portionem. Turpiter enim in hac re errasse veteres, sciunt omnes.
- 3) Nobilitas gentilitiae sanguine propagatur ad posteros, atque videetur esse bonum aliquod ipsa natura comparatum, quod proles vna cum luce adspicit. Eam vero cum praestantissimis iuribus esse coniunctam, nemo negat. Sed nasciturorum is fauor est, vt, quoties de eorum commodis agitur, habeantur pro natis. L. 7. D. de stat. *bomin.*
- 4) Pater quidem iuri proprio renunciare, nullo vero modo nascituris commoda, in quorum possessione quasi iam constituti esse videntur, eripere poterit.
- 5) Est hoc voluntati eius, qui nobilitatis honorem impertit, eamque non tamquam beneficium mere personale concessit, contrarium. Confer de hac quaestione *Hugon.* *Grotium de iur. bell. et pac.* Libr. 2. cap. 4. §. 10. et *Sumuel. Pufendorf.* in *iur. natur. et gent.* Libr. 7. c. 7. §. 10.
- 6) Omnis renunciatio stricte est interpreanda, ita vt alii inde nihil capiant detrimenti. *Caspar. Henr. Horn.* in *consultat. Claff. 16.* n. 34.
- 7) Praestantissimum huius rei exemplum suppeditat *Paulus* in l. 17. §. 1. D. pro *socio*, vbi statuit, socium, qui societatem absenti renunciavit, omne commodum, quod post renunciationem adquisiuit, quoad is scierit, cum abente socio communicare debere, e contrario vero damnum, quod post renunciationem contigit, renunciantis esse proprium.

VI.

Vxores et pupilli sunt homines sui iuris.

- 1) Si tantum alieni iuris existimantur, qui potestati patriae, vel dominicae subsunt. L. 1. seqq. D. de bis, qui sui, vel alien. iur. sunt.
- 2) Materfamilias vna cum marito nouam condit familiam eiusque princeps dicitur. Ita enim *Vlpianus* in fragmentis, quae doctrina *Axon. Schultingii* illustravit Tit. 4: sui iuris sunt familiarum suarum principes, id est, paterfamiliae, item materfamiliae.
- 3) Non quidem negamus, olim vxores, quae rite in manu conuenierant, instar filiarum, potestati maritorum fuisse subiectas. Hinc laudatus *Vlpianus* Tit. 11. §. 13 conventionem in manu ad minimam capit is deminutionem resert, atque vxorem, quae in manu est, tamquam heredem suam instituendam, vel exheredandam cōficit, Tit. 22. §. 14. admonet, id quod et *auctor. collat. leg. Mosaicar. et Romanar.* Tit.

Tit. 16. obseruat. Nec de hac re quis dubitauerit, qui locum Gellii Libr. 18. c. 6.
attentius considerauerit. Sed nos vxoris conditionem hic non ex moribus anti-
quis, sed ex iure nouo dijudicamus, quo maritalis potestas satis est coercita.
Nouell. 117. c. 4. 4) Non nocet pupillis, quod vi et potestati tutorum obnoxii
esse dicantur. L. 1. D. de tutel. Haec enim verba non sunt captanda, nec in iis
mysteria querenda. Vide §. 3. I. de interdit. L. 1. D. de noxal. act. vbi quoque
coniunctim sunt usurpata. Tutoris enim praecipuum officium est pupillum ab omni
inuria defendere. L. 30. D. de administrat. et pericul. tutor. 5) Debet quidem
tutor in primis curare, ut pupillus honeste et utiliter educetur, neque pupillus
suam conditionem, tutore inconsulto, reddere poterit deteriorem. Sed quis ideo
tutori potestatem patriam, vel dominicanam concessam esse credit? 6) Tute
la numquam habetur pro modo acquirendi potestatem patriam vel dominicanam. Ipse
vero pupillus, constante adhuc tutela, est homo ingenuus, qui in potestate pa-
tris morte, vel emancipatione esse desit. L. 239. D. de V. S. 7) Vlpianus in
L. 195. §. 2. D. de V. S. pupillum; cum dominium in domo habeat, patremfamilias
appellat.

VII.

Exheredatio in testamento sollempni est facienda.

1) Vbi leges exheredationis mentionem faciunt, ibi simul testamenti rite
 conditi fit mentio. *L. 1. seqq. C. de liber. praeter. vel. exheredat. 2) Ex l. 14.*
C. de testament. satis clare appetat, exheredationem olim fuisse certum argu-
mentum testamenti sollempniter facti. 3) Exheredatio in codicillis fieri non po-
tuit. §. 2. I. de codicill. et L. 2. C. de codicill. 4) Cum ea a tota hereditate ex-
cludantur ii, quibus debetur portio legitima, facile intelligitur, hanc rem val-
de odiosam omni modo esse restringendam. 5) Huc pertinet sententia Pauli in
l. 19. D. de liber. et postibum. his verbis concepta: cum quidam filiam ex aße
heredem scripsisset, filioque, quem in potestate habebat, decem legasset, adiecit,
et in cetera parte exheres mibi erit, et quereretur, an recte exheredatus videtur,
Scaevola respondit, non videtur, et in disputando adiiciebat, ideo non valere, quo-
niam nec fundi exheres esse iussus, recte exheredaretur, aliquam causam esse
institutionis, quae benigne acciperetur, exheredationes autem non effene adiu-
uande 6) Quod parentibus, si liberos scribunt heredes, sollemitates ordina-
riac fuerint remissae, id. non in liberorum odium est introductum, cum potius
iis, quos leges ab intestato vocant, ius civile maximopere faueat. L. 21. C. de te-
stament. Nouell. 107. cap. I Conf. Lüder. Mencken. System. iur. civil. secundum
Pandectas Libr. 29. Tit. 1. §. 8. Henr. de Berger, in oeconom. iur. Libr. 2. Tit. 4.
§. 6. not. 6.

VIII.

Res fungibilis est, cuius vice fungitur alia res eiusdem generis.

1) Vulgo res fungibilis dicitur, quae pondere, numero et mensura constat. Sed haec notio nimis late patet, atque res quoque haud fungibles complectitur, cum omnia, quae possidemus, pondus, numerum et mensuram recipiant. Ita vero rerum diuersarum naturale discrimen tollitur. 2) Errant, qui vulgarem opinionem auctoritate *Pauli in l. 2. §. 1. D. de reb. credit.* tueri cupiunt. Ista enim lex non est quasi in portiones distrahabenda, sed in toto ambitu consideranda eamque continet mentem, quod res fungibles sint eae, quae functionem magis in genere, quam in specie, recipiant. 3) Sententiam eorum, qui rem fungibilem dicunt esse eam, quae vtendo consumitur, non quidem vituperamus, bene memores *§. 2. I. de vſufruct. vbi negatur, verum vſumfructum constitui in iis, quae vſu consumuntur.* Mirandum potius, quod institutionum architecti de pecunia numerata incertam proposuerint sententiam. Licet enim pecunia, si eius materiam spectas, vtendo haud consumatur, in sensu tamen iuris ciuilis pecunia expensa, quae ex nostro dominio in alterius patrimonium transiit, consumta esse dicitur. *L. 13. D. de reb. credit.* Sed haec omnia nostrae opinioni non aduersantur, cum id proprium sit earum rerum, quae functionem in genere admittunt, vt vtendo consumantur. 4) Nec obstat *l. 3. §. 6. et l. 4. D. commoda-* *dat. vel contra,* vbi etiam pecunia commodata esse dicitur, cum hoc ad ostentationem et pompam, vel dicis gratia fiat.

IX.

**Pendente iudicio petitorio, permisum est adhuc vti
remedio possessorio.**

1) Iure quidem Romano saepe cauetur, vt, si de proprietate et possessione simul lis moueatur, possessionis controuersia prius, quam proprietatis sit executienda. *L. 13. C. de rei vindicat* *L. 3. C. fin. regund.* *L. 37. D. de iudic.* Sed inde non est inferendum, ac si is, qui iam de proprietate litigat, beneficio tuendi adhuc rei litigiosae possessionem priuaretur. 2) Dum maius petimus, minus non amittimus. Aequitatis causa quoque receptum est, vt interdum quis iura diuersi generis petere, atque firmiora cum minus infirmis simul persequi queat, vti exemplo vindicationis rerum et actionis Publicanae satis constat. Licet vero quis ius firmius haud probauerit, ideo tamen iure infirmo haud cadit. 3) Nec ideo, quod quis ius suum petitorio iudicio quaerat, possessioni renunciasse praesumendum est. Hinc *Vlpianus in l. 12. D. de acquirend. vel amittend. pos-* *jeff.*

seſſ. haec tradit: nibil commune habet proprietas cum poſſione, et ideo non de- negatur ei interdictum, vxi poſſideris, qui coepit rem vindicare. Non enim vi- detur poſſessioni renunciaſſe, qui rem vindicauit. 4) Poſſeffio non ſolo animo, ſed copte acquiretur. Licet igitur dominium hereditatis ſaepe in heredes ipſo iure tranſeat, non tamen ideo tranſeretur in eosdem rerum hereditariarum po- feſſio. L. 3. §. 6. D. de acquirend. vel amittend. poſſeff. Adde Gebbard. Chri- ſtian. Baſtineller. obſeruat. ad proceſſ. poſſeffor. ſummar. §. 13. 4) Dominium rei pure legatae ipſo quidem iure in legatarium deuolutur. L. 80. D. delegat. 2. Sed, quis neſcit, heredi aduersus legatarium, qui rem propria auctoritate oc- cupauit, dari interdictum, quod legatorum? 5) Vti a proprietate ad poſſectionem argumentum ducendum non eſt, ita e contrario proprietas cum ipſa quoque poſſectione ipſa natura non cohaeret.

X.

Furtum in primis conſtituit in conreclatione fraudulenta rei alienae, animo lucri faciendi facta, et ſaepe committitur in rebus, quae in iure immobiles dicuntur.

1) Furti notio ex l. 1. §. 1. D. de furt. ſatis clara eſt. Hoc tamen non eſt o- mittendum, conreclatione amotionem rei alicuius de quodam loco significa- ri. Optime id docet Paulus in l. 3. §. 18. D. de acquirend. vel amittend. po- feſſion. his quidem verbis: *Si rem apud te depositam, furti faciendi cauſa, con- reclaueris, deſino poſſidere, ſed ſe eam loco non moueris, et inficiandi animum ba- beas, plerique veterum, et Sabinus et Caiſſius recte responderunt, poſſefforem me manere, quia furturn ſine conreclatione fieri non potest, nec animo furturn ad- mitatur.* Adde l. 46. §. 7. b. T. 2) In rebus immobilibus furtum non com- mitti, ex l. 25. de furt. ſatis luculenter perſpicitur. 3) Sed id duntaxat accipiendo- mentum de rebus ipſa natura immobilibus, non vero de iis, quae, licet, ſalua ſub- ſtantia, de loco in locum transportari poſſint, in ſenſu tamen iuris ciuilis haben- tur pro immobilibus. 4) Ita ianua eſt pars ipſius aedificii, et tamquam eiusdem acceſſio ex natura rei principalis aeftimatur. L. 17. §. 7. D. de aet. emt. vend. Eam vero furto auferri poſſe, oſtentit l. 25. D. de furt. 5) Fructus a ſolo nondum separatos fundi acceſſiones eſſe, neminem fugit. At vel in his fur- tum locum habere, l. 61. §. 8. D. de furt. probat.

XI.

Furtum casus non eſt.

1) Emtione perfecta, periculum ſive damnum fatale pertinet ad emtorem. L. 8. D. de pericul. et commod. rei vend. At Paulus in l. 14. eiusd. Titul. mate- riam

riam emtam, quae furto ablata est, tunc ait periculo esse eitoris, si iam eidem fuerit tradita. Materiae nondum traditae periculum spectat ad venditorem. Ratio huius legis repetenda est a culpa, quae a venditore, quia rem debita diligenta haud custodivit, est commissa. 2) In societate socius damnum casu fortuito datum haud resarcit, sed id omnibus sociis est commune. Sed, si res alicui sacerorum credita fuerit surrepta, is damnum furto factum praestare debet. L. 52. §. 3. D. pro soc. 3) Dominus horrei locati, si id effractum et expilatum fuerit, conductori nihil praefstat. L. 55. D. locat. conduct. 4) Commodatarius culpam quidem leuissimam, sed non casum fatalem praefstat. Sed in l. 5. et 18. D. commodat. vel contra illud damnum, quod surum malitia in re commodata accidit, non excipitur, licet ea, quae a latronibus vi fuere erepta, a commodatario non sint restituenda. Latro enim a fure vehementer differt. Ille palam grassatur armis instructus, aliisque lucri causa et bona, et vitam eripit. Hic clandestinis artibus vtitur, neque cruenta detrahit spolia. L. 28. §. 10. et l. 15. D. de poen. 5) nostram sententiam tamen hodie ad furta vi commissa accommodari nolumus. Constitut. criminal. Carol. art. 159. Vbi enim vis maior est adhibita, cui quis resistere haud potuit, ibi damnum fatali casu datum esse videtur.

XII.

Vt fur ab ultimo liberetur suppicio, ex eius patrimonio prius domino, qui furtum passus est, quam iudici ob expensas criminales, erit satisfaciendum.

1) Cui res furto ablatae sunt, ei conceditur earundem vindicatio ideoque is iudici, qui expensas criminales ex bonis furis petit, est preferendus. L. 31. §. 1. D. de reb. cred. Sancto Carolin. art. 207. 2) Licet res surrepta fuerit consumpta, eius tamen aestimatio praestanda est. L. 8. §. 1. D. de condic. furtiv. 3) Carolus V. in sanctione criminal. art. 213. expressis verbis cauit, vt domini res furtiuas repetentes a restituendis expensis, si a nonnullis discesseris, sint immunes. 4) Cum furi saepe profit damni dati reparatio eoque modo poenam capitalem declinet, ipsa profecto aequitas nostram opinionem commendat. 5) Fauendum quidem maxime est iudici, qui, vt veritatem commissi criminis inuestigaret, nec labori, nec summis pepercit. Fauendum tamen magis est ei remedio, quo vita hominis redimitur.

Wittenberg, Diss., 1774-76



3

f

5b.



B.I.G.



Q. D. B. V.

THESES IVRIS ROMANI

QVAS

P R A E S I D E

D. G E O R G I O S T E P H A N O
W I E S A N D I O

PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO
CVRIAEC PROVINCIALIS SCABINATVS
ATQVE COLLEGII IVRE CONSVLTO.

RVM ASSESSORE

DIE XXVIII. MARTII A. S. R. CICICCLXXV.

H. L. Q. S.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITVRVS EST

I A C O B . E H R E N F R I E D W E B E R

BVDISSA - LVSATVS,



VITEMBERGAE
EX OFFICINA GERDESIANA.

